

I. N. 7!

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

PACTO DEI

CUM TOTO HUMANO
GENERE IN PROTOPLASTIS
ANTE LAPSUM INITO.

Quam

SUB PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Maxime Reverendi atq; Amplissimi

DN. JOHANNIS HÜLSEMANNI,

Theologi & Prof. Lipsiensium primarii, Consistorii
Assessoris gravissimi, Capituli Cizensis Præpositi, Misnenensis, &
Numburgensis Canonici, Academiæ Decemviri, Ecclesiæ Lipsiensis ad D.
Nic. Pastoris & Diœceseos Superintendentis, undiq;
meritissimi;

*Patroni ac Præceptoris sui, omni observantia cultu prosequendi,
Publico Examini sistit*

M. SEBASTIANUS GOEBELIUS Dresd.

Lipsiæ hætenus ad D. Nic. Conc. Sabbat.

Ad D. V. Julij

Horis locoq; solennibus.

LIPSIÆ

Typis Hæred. COLERIANORUM.

ANNO MDC LIX.

~~1811~~

~~1811~~ 7

oll. diss. A
3, 5

49. A. 183(5.)

REVERENDISSIMO, SERENISSIMO,
CELSISSIMO QVE PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

AUGUSTO,

POSTULATO ADMINISTRATORI
PRIMATUS ET ARCHIEPISCOPATUS
MAGDEBURGENSIS, DUCI
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM,
LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, AC
SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI DE
MARCA ET RAVENSPERGK DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,
NUTRICIO MUNIFICENTISSIMO,
INCOMPARABILI,

Cum Dissertatione hac Theologicâ
SE TOTUM

Voto religiosissimo devoveret
& Affectu humillimo subjicit

AUTOR

M. SEBASTIANUS GOEBELIUS
Dresdensis.





I. N. J!

Solidioris in Theologiâ eruditionis
Sectatoribus meritò altius in animo
infigenda, assiduâq; meditatione
recolenda sunt, quæ D. Lutherus in
Comment. s. Epist. Gal. Tom. V. VVit-
teb. lat. f. 304. graviter dixit: *Qui*
benè novit discernere Legem ab Evangelio,
is gratias agat Deo, & sciat se esse Theologum. Ego certè in
tentatione nondum novi, ut debebam. Quibus sanè verbis,
non crassæ alicujus, & Theologo indignissimæ se i-
psum infimulare voluit ignorantia, quod per calum-
niam ipsi tribuit *Jesuita Müllmannus in Löseschlüssel p. 69.*
Sed quibus difficultatibus accuratior hujus doctrinæ
cognitio impedita sit, quid ad veram Theologiæ soli-
ditatem ac verticem requiratur, & quodnam doctrinæ
coelestis caput frequentioribus tentationum fluctibus
vel maxime impetatur, concutiatur, expertus facere
voluit testatum. Nunquam verò Pactum Legale ab
Evangelico rectè solideq; discernere, Hæreticorum,
aliorumq; Adversariorū moliminibus fortiter resistere,
vel propriæ conscientiaë scrupulis feliciter mederi pote-
rimus, nisi rem omnem paulò altius ab ipsâ primi ho-
minis creatione repetamus & quæ vera, propriaque
Primi à Deo cum Genere humano initi Pacti fuerit ratio
A dispi-

dispiciamus. Etenim cum hoc Primum Dei Pactum fundamentum sit Pactorum sequentium, quod suo modo præsupponunt, quod respiciunt, quo sine nec intelligi possunt, nec credi, certè, qui hic quid offenderit, illi inoffenso pede in reliquorum consideratione progredi non dabitur: Vitiumq; hujus primæ concoctionis, non facile corrigetur in secundâ. Quid ab aliis hæc in re præstitum sit, noverint Theologi. Ego, quemadmodum nemini, quam meretur, in video laudem, nec aliis iniquè detrahendo vanæ quid venor gloriolæ, ita hæc vice, favente divinâ Gratiâ, quantum in meâ quidem tenuitate situm erit, eò conferam, ut primi illius à Deo Creatore cum toto Genere humano in & cum Protoplastis initi Pacti ratio aliquantò penitius attendatur; Et materiæ hujus ubertatis, ac pagellarum illius considerationi consecratarum rationem habens in eo ero, ut potius paucis multa, quam multis pauca edisseram. Quod, ut per Spiritus Sancti gratiam sine errore in Dei paciscentis gloriam, & veritatis cœlestis vindicationem cedat, faxit, qui Via, Veritas, Vita est, Jesus Christus!

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

I.

Generalis
Pacti divini
considerationis

I.

Ὁνομαστο-
λογίας

ANtequam vero ipsam Pacti hujus considerationem instituat, è re esse videtur quædam de Pactis divinis in genere notanda præmittere, utpote quæ lucem aliquam argumento nostro fœnerari, & lampada quasi præferre poterunt, cum quod de genere verum, etiam verum sit de specie, s. Aristot. Categ. Cap. 3. & Porph. Isag. c. 7.

II. Atq; ut hinc exordiar, Nos hæc vice non Pactamere humana, sed Pacta à Deo cum hominibus pacta consideraturi, quid Politicis & Jure-Consultis in Lexicis suis Pactorum veniat

DOMINE

nomine ideò parùm moramur, quòd de verbis rebusq; divinis non nisi ex Sacro Codice, & secundum ipsius Spiritus Sancti stylum & stilum judicare teneamur. Quòd autem nobis hãc in Dissertatione Pactum, id in Sactis. V. T. literis כְּרִיתָ dicitur, de cujus vocabuli derivatione non una apud Philologos est sententia. Alii à כָּרַת, quòd est *deligere*, quia Personæ, Res, Conditiones eliguntur, deducunt. Alii à כָּרַת quatenus *succidere* significat, derivant, quia in ineundis Fœderibus s. Pactis, victimæ cædebantur, per quarum partes singularis fiebat transitus. De quâ Ceremoniâ, sanguinem ac vitam fœderati fallentis notante v. Gen. XV, 10. 17. Jer. XXXIV, 18. Grotij Comment. in Matth. XXVI, 28. Calixti Tract. de Pactis N. 64. 65. qui Ethnicis quoq; ritum hunc in more positum fuisse enarrant. Alii à כָּרַת deductum putant, quòd *purgare, declarare, dilucidare* significat, quòd in Fœderibus & Pactis candidè & sine Sophisticâ imposturâ utrinq; declaretur & ratificetur fides. Vide post Lexicographos Försterum, Avenarium, Buxtorff. Schindl. Kircherum Tom. IV. Gies. Disp. 18. Th. 3. 4. Excell. Dn. D. Dorschei Theol. Zach. Cap. V. pag. 38. 39. Riveti Comment. in Hof. c. 11. 18. Isagog. ad Script. S. Cap. 29. Cocceji Theologi Leidensis Tractat. de Fœdere & Testamento Dei. Cap. 1. § 1. 2. Quamvis, si secundum Grammaticorum leges procedere velimus, vix ab ulla harum radicum commodè, rectissimè verò ab inusitatâ כְּרִיתָ derivari possit, quòd optimè fecit B. Dn. D. Polycarpus Lyserus Junior Disput. de Fœderibus §. 7.

III. Hebræum כְּרִיתָ Septuaginta Interpretes Deut. 9, 15. per Μαρτύριον: 1. Reg. 12, 11. per Ἐπιτολιον: Reliquis in locis omnibus (quòd ex Concordantiis Kircheri patet) per Διαθήκην reddiderunt. Quæ vox etiam in N. T. libris non tantùm Luc. I, v. 72. Eph. 2, 12. Sed etiam Matth. 16, 28. Marc. 14, 24. Ebr. 9, 02. pro pacto supponit: prout Vir Excell. Dn. D. Kromayerus Preceptor meus pl. honorandus in Disp. suâ de Pacto Legali & Evangelico Anno 1651. conscripta rectissimè notavit. Aquila vero in Versione suâ per Συνηκην reddidit. Latini Interpretes & Hebræum כְּרִיתָ & Græcum Διαθήκη modo Pacti, modo Fœderis, modo Testamenti nomine expresserunt, cum, quòd Aug.

Pactum in
V. T. appel-
latur
כְּרִיתָ
Cujus obs.
1. Etymολο-
για

2. Συωνυ-
μια

in Ps. 82 testatur, Testamentum non solum illud dicatur, quod non valet nisi Testatore mortuo, (hoc e. Dispositio ultimæ voluntatis) sed omne quod pactum & placitum.

§ Ὁμολογία

IV. Porro deprehendimus in Sacris literis Nomen Pacti & Fœderis eâ in latitudine sumi, ut non tantum de conventionem ex mutuâ stipulatione, & juratâ promissione factâ, ut Genes. XXI, 23. 31. XXVI, 28. 29. 31. &c. Sed etiam de certis ordinationibus, Statutis, mandatis & promissionibus, iisque vel cum conditionibus, & reciproâ stipulatione, vel sine conditionibus, & absq; mutuâ obligatione latis, passim usureptur, prout ex Genes. 9, 10 Jos. 7, 11. 15. Jer. 33, 10. Hos. 11, 18. patescit. vid. Maxime Reverendi atq; Magnifici Dn. D. Hülsemanni Præceptoris atq; Patroni mei ætatem suspiciendi Disp. I. de Aux. Grat. Cap. 3. Th. 4. §. 1. D. Calixtus Tract. de Pactis §. 44. Hinc fit, ut quod jam Pactum, alibi mandatum, vel Lex dicatur, (confer Exod. 24, v. 8. Ebr. 9, 10.) & ipsum Evangelicum Pactum vocetur Lex Spiritus vite per Christum liberis nos reddens à jure peccati & mortis; Rom. 8. 2. Lex fidei Rom. 3, 27: Mandatum, ut credimus nominis Filii ejus Jesu Christi 1. Joh. 3. 23. In quâ significationis generalitate, seu latitudine Pacti, Fœderis, Testamenti vocabula

II.
Προγματι-
λογία ubi
1. Descri-
ptio.

in doctrinâ de Pactis divinis Theologi, linguam ad Sp. S. usum moderantes, usurpant; Ita ut Pactum Dei in Genere Illis nihil aliud sit, quàm divina declaratio de ratione percipiendi amoris Dei, & unionem, communionem, ac beneficiis Ipsius potiendi & fruendi: Vel (Vocab. Pacti in strictiori significatione sumpto) secundum phrasin Apostolicam Θεία ἐπ' ἐταξείλιαις νεμοθεσία h. e. Divina legislatio promissionibus sancita Ebr. 8, 6. Vel: Est Pactum, quo Deus voluntariè hominibus stipulatur & promittit aliquod bonum, eos eam viissim obstringendo, ut præstent ea, quæ ab illis requirunt, quemadmodum Fœdus Dei propriè & in genere dictum definit, B. Dn. D. Polycarpus Lyserus, quondam Superint. & Prof. Lips. optimè meritis Disser. Theol. de Fœderibus Anno 1620. habitâ Th. 2: Cujus obligationis vis non à consensu hominum, Creaturarum & Mancipiorum Dei, acceptantium, sed à voluntate & imperio Dei ita statuentis & imponentis pendet. Admiranda autem est Dei lenitas (inq. B. Lyf. alleg. 8. 23.) quod cum sit verum omni-

minum

minium Dominus, & ut infinita, ita liberrima sit illius potestas, tan-
tum se demittat, ut fœdere se obstringat & obliget hominibus. cuius
rei nulla alia causa, quàm quod omnem hesitationem de heretice a-
suâ ex animis illorum auferre velit. Quemadmodum verò Pœna
transgredientibus à Justitiâ Dei vindicativâ constituta sunt, ita
Premia à sola quidem bonitate & liberalitate Dei sunt decreta,
ex veritate verò & Justitiâ fidelitatis insuper exhibitâ & dispen-
sata, non intuitu alicujus meriti ex parte hominum, sed ob libe-
ram à se factam sui obligationem. Ita justus dicitur Deus, si
non obliviscitur operis nostri. Ebr. 6, 10. Non justitiâ distributi-
vâ, aut commutativâ, seu proportionis personarum, aut operum
observatione, sed justitiâ fidelitatis, sumpto nimir. termino justii
non particulariter, sed universaliter, prout ille, qui in promissis
fidelis est, justus quoq; i. e. bonus dici potest.

* V. Hæc de Pactis divinis in genere dixisse sufficiat. Jam 2. Divisio.
 per singulas mundi ætates euntes, quorum Scriptura Sacra potio-
 rem facit mentionem, hujus generis invenimus *Pacta tum uni-*
versalia, tum Particularia. Universalium, & totum humanum
 Genus concernentium *Primum* initum est ante Lapsum: *Alte-*
rum post lapsum. *Particularia*, quæ cum certis tantum homini-
 bus Deus iniit, sunt I. Pactum Dei cum Nocho & posteris Ge-
 nes IX. II. Pactum Dei cum Abrahamo Gen XV, 5. seqq. XVII. 8.
 III. Pactum cum Populo Israhelico ex Agypto educto & Ejus-
 usq; ad Messæ adventum viventibus posteris, Exod. XXIV. v 8.
 quod sec. *Definitionem à Philippo* in L. de Discr. V. & N. T. tradi-
 tam ejusmodi erat *Pactum, quo Populus Israhel. ad Legem & ad cer-*
tam formam Politicæ obligatus est, ad hunc finem, ut in hæc Politicæ
conservaretur & propagaretur promissio de venturo Messia, propter
quam & in ipso populo erat vera Electio in Ecclesia. Quod e iam
 attendens B. Lyserus l. alleg Th. 32. Pactum hoc inter Specia-
 lia Dei recenset Fœdera. IV. Pactum cum Davide & Familia
 ejus. 2. Sam. 7. Ps. 88. 4. V. Pactum cum Judæis & Gentibus post
 exhibitum Messiam ad unam Ecclesiam copulandis. Jer. 31. 32. Ex
 horum Pactorum numero non particulare quoddam, sed Uni-
 versale, & quidem primum, & ante lapsum à Deo cum tota Ge-

vere humano in Protoplastis initum, simplici & perspicuâ brevitate, pro virium modulo, adspirante divinâ gratiâ, sequentibus pagellis sum expositurus.

3. Hypotheses.

VI. Verùm quò feliciori quâdam facilitate in explicatione & cognitione cùm horum Pactorum omnium, tum Pacti Adami-tici nostri in specie uti possimus, quâdam *hypoteses hodge-gerici instar ante erunt & proponende, & acceptande*, quam ad ipsam *εργασίαν* faciamus accessum. Nimirum I. *Non necessum esse* ex historia illius temporis, quo Pactum est initum totam & sufficientem Pacti explicationem fumi. II. *Neq; omnem* & explicationem & probationem ex Scripturis *κατὰ τὸ ῥητὸν*, omissis omnibus consequentiis, esse instituendam. III. *Priores revelationes* ex posterioribus, de eâdem re agentibus, explicandas, ambasq; conjungendas non opponendas esse. IV. *Universalis Scriptura* *effata* ad omnes omnium temporum pertinentia, ad singulos quoq; homines esse accommodanda. Cùm quod de Omni verum est, etiam de hoc verum sit. V. *Revelationis quantitatem*, & mensuram non ex verborum Scripturæ, & actuum ibi recensitorum paucitate esse æstimandam, cùm neq; omnia, quæ Deus ipsis vel immediatè vel mediatè revelaverat, literis consignata fuerint, neq; ea, quæ scripta sunt, eâdem verborum serie fuerint reddita, sed in brevem summam contracta. VI. *Quæ hominibus scitu & creditu ad salutem* pro conditione istius temporis, & dispositione voluntatis divinæ fuerunt necessaria, illa præ reliquis sufficienter & perspicuè revelata fuisse. VII. *Quæ de credendis* nullâ revelationis specie patefacta fuerunt, illa ita ejus temporis hominibus ignoranda fuisse, ut neq; de iis illicita temeritate quid affirmarent, neq; cum conceptu erroneo, qualis post revelationem hæreticorum fuit, quid negarent; Eamq; simplicem ignorantiam illorum saluti non obfuisse, neq; ejus licentiam & impunitatem ad posterorum, & factæ revelationis tempus esse extendendam, multò minus talium, quæ impunè vel olim ignorari potuerunt, vel adhuc possunt, & affirmativam & negativam liberam esse, levitate quâdam animi verius, quàm prudenti modestiâ, asserendum. Ad pleniorum harum hypothesium intellectum, conferantur, quæ graviter in hanc rem dicta

cta

ita sunt à *Magno Chemnitio* Tom. I. Loc. C. in Præfat. de usu & utilitate Loc. Theol. B. D. *Vilhelmo Lyfero* Trifol. Disp. I. N. 13. seqq. II. n. 9. III. n. 9, 10. II. B. D. *Carpzovia* nostro Spec. Theol. Chemn. Disp. I. Cap. I. Aph. 3. 4. 5. Nos his, flagitante sic materiæ gravitate, præmissis, telam nostri instituti ordientes ab ipsa primi hominis creatione reperamus principium.

VII. Cum omnia propter hominem condita essent, homo à Deo creatus est, non prout hodie corruptus est, sed integer, non tantum integritate essentiæ & partium, quam specie eandem & nos obtinemus; sed etiam qualitatibus quâdam singulari & concreatâ integritate, quæ, quia conformitatem quandam cum attributis divinis habebat, ad Imaginem & similitudinem Dei Homo factus dicebatur. Gen. I. 26. 27. Ita tamen ut secundum tenorem Scripturæ & intentionem Sp. S. propriè & strictè per *Imaginem Dei* non qualiscunq; significetur convenientia, sed *concreata Sapiencia in intellectu* Eph. 4, 25. Col. 3, 10. *Rectitudo in voluntate*, quæ justitia & sanctitas veritatis ab Apostolo vocatur. Ephes. 4, 24. & *Harmonia cum voluntate istâ in appetitu: Immunitas à fœditate, morbo & dolore, cum potentiâ non moriendi in Corpore*; Item *Dominium* in Creaturas inferiores ac bestias Gen. I. 28. Quæ omnia conformitatem quandam cum Dei Sapiencia, Bonitate, *Αὐτοπραγεία*, Pulchritudine, Immutabilitate, Æternitate, Omnipotentia, suo quodam modo præsentabant. Dicitur autem *integritas ista naturalis*, non quod essentiam hominis, quâ homo est, per se comiteretur, sed quod concreata primo homini fuerit, quo respectu connaturalis quoq; à *Magnifico D. N. D. Hülsemanno*, Ephoro nostro maxime venerando Disp. I. de Aux. Grat. c. 3. Th. 20. §. 2 vocatur. Confer Breviarii Ejusdem Cap. 3. Suppl. th. 19. Quæ quamvis homini integro, ut homo erat, per modum accidentis separabilis competere, eisdem tamen, ut integer erat, per se competisse, rectè statuitur; Quemadmodum *Præceptor & Hospes meus desideratissimus B. D. D. Carpzovius* Part. I. Syll. Artic. X. accurata & perspicuâ operâ hæc explicata nobis reliquit.

VIII. In suo de *Pactis Tractatu* cum profizior in Imaginis Dei, & status primi hominis explicatione fuisse *Calixtus*, bre-

*Specialis
Pacti Primi
Considera-
tio.
Ubi atten-
tendum
r. ad PER-
SONAS
PACIS-
CENTES,
quæ sunt
Deus &
Protoplasti
in statu In-
tegritatis
existentes.*

VELL.

vem Pacti à Deo cum Protoplastis initi delineationem num. 14
ita subjungit: *Qualem Deus primum hominem creaverit, &
quod in statu merè naturali (naturam humanam, quatenus talis,
necessariò insequente, qualis per abstractionem mentis concipi
potest) non reliquerit, sed mox in ipsa creatione supra eum longè e-
vexerit, & dotibus naturalem (essentialem) constitutionem (quæ
homo, quatenus homo est, gaudet) excedentibus (& Imaginem
Dei constituentibus) instruxerit, superius est ostensum. Ut in hoc
felicitatis statu permaneret, & ex eo ad perfectè beatam eternamq;
vitam aliquando, nulla interveniente morte transferretur, posita est
ipsi observanda universa Lex nature cordi ejus inscripta, quæ etiam
ut exactissimè servari posset, supernaturali dote scil. Iustitia ori-
ginali, quæ homini, quæ tali supernaturalis, sumpto termino
pro non-essentiali, ut Dn. D. Titius explicat in Notis ad Epit.
Calixti p. 94. contra vulgarem Nostratum usum, usitatus v. &
commodius naturalis seu concreata dicitur) cohibitus (confir-
matus) fuit appetitus sensitivus, ne adversus rationem sive preve-
niendo, sive repugnando se commoveret: Additum præterea est u-
nicum præceptum positivum de non comedendo fructu arboris Sci-
entie boni & mali, ad præbendum specimen & documentum animi
Deo devoti, perfectèq; obedientie. Hæc de Pacto I. Dn. D. Calixtus.*

IX. Ut aliquantum distinctiori opera in hujus primi Pa-
cti conditionem inquiramus, operæ pretium erit ante omnia
probare, quod hæc Dei cum Protoplastis actio, & Pacti, in sensu li-
tiori sic dicti, rationem quandam habeat, & propterea rectissimè
Pactum Dei vocetur; quævis negari non possit, quòd in sacris
litteris nomine Pacti, Fœderis, Testamenti vix insigniatur. Ita
autem argumentor: in quacumq; cum hominibus actione Deus
mutuam obligationem instituit, illa est Pactum Dei. In hæc
cum primis hominibus Deus mutuam obligationem instituit.
E. Hæc Dei cum primis hominibus actio est Pactum Dei. *Ma-
jor* ex collatione hujus cum aliis & similibus Dei actibus, qui
expressè in sacris Pacta & Fœdera vocantur, facillimè probatur,
(vq; v. S. de Pactis divinis in genere dicta sunt) *Minor* ex sequen-
tibus suâ luce inclarescet.

X. Per-

X. Personæ hîc paciscentes sunt Deus & Homo. Ille ut Creator & summus absolutusq; Imperator. Homo non tantùm *quatenus* creatura & subditus, sed etiam *quatenus* in statu Integritatis constitutus, & viribus ad conditiones Pacti præstandas sufficienter instructus. Ut Creatura & subditus tenetur mandato morem gerere. Potest autem Imperantis Dei legibus, summam & perfectam, ut audiemus, Justitiam flagitantibus, debitam præstare obedientiam, non quâ Homo est; (sic enim & hodiè posset, quia secundum *Logicorum Regulam*; *A quatenus reduplicativo ad per se & de Omni valet consequentia*, v. Dn. D. Danhaweri *Epit. Dial.* p. 83. & quod homo potest, quâ talis, id omnis homo potest, & semper) sed quatenus homo in statu Integritatis conditus, viribusq; ad præceptum exequendum sufficientibus instructus est. Necessè enim est, ut in Pactis seriis conditiones, si quæ appositæ sunt, præstita sint possibiles, secus enim si fiat, pactum stultum est, imò non pactum, sed mera ludificatio & dolus. Et quando res non conventionem & stipulationem, sed solo mandato peragitur, quod à Deo in hoc factum est Pacto, vel maximè valet. Quod *Plutarchus* habet in *Solone*, *Leoem debere hanc conditionem habere*, quod præstitum sit possibile; Item, quod barbaro versu dicitur: *Ultra posse viri, non vult Deus ulla requiri*. In *Logicorum* quoq; Scholâ docemur, quòd *hypothetica habens conditionem impossibilem equipolleat Universali negative*. E. g. *Nuptum tibi dabo filiam meam, si cœlum digito tetigeris*: Idem est, ac si dicas, *nunquam vel neutiqum tibi dabo &c.* v. idem *Danhavv. l. alleg.* p. 86. Quod attendens *Augustinus de temp. Serm. 6.* sic inquit: *Deus nec impossibile aliquid potuit imperare, quia justus est: Nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit evitare, quia pius est.* *Hieronimi tempore Patres* in conflictu cum *Manichæis concluderunt anathema esse, si quis dixerit Deum impossibilia præcepisse.* v. *Chemn. T. II. LL. CC. L. de Lege Cap. IV.* Quare in hominis hoc Pacto obligati consideratione altero quasi oculo ipsius debitum, altero vires concreatas excellentissimas sedulò intueri debemus. Nempe Deus Adamum, ut Legibus istis perfectam obedientiam exigentibus obediret, ho-

B

minem

Et in Iphis
totum Ge-
nus huma-
num.

minem creavit, ut possit illis perfectè obedire ad Imaginem divi-
nam creavit, & in statu illo, qui integritatis vocatur, collocavit.
XI. Neq; tamen hâc ratione debita Hominis in hoc Pacto
consideratio suis numeris est absoluta, sed utilissimum est. sum-
meq; necessarium singulari studio observare & alto reponere
pectore Protoplastos in hoc negotio non tantum considerari, ut
duo ab aliis hominibus distincta Individua, sed ut parentes sunt,
& radix totius humani Generis à se plantandi. *Pepigit ergo Deus*
hoc Pactum cum primis hominibus, tum pro Iphis, tum in Iphis ut
Stirpe cum omnibus naturali modo (sic Christus excluditur) vi be-
nedictionis divinæ Genes. I, 28. ab illis & posteris eorum gene-
randis hominibus; Iisq; primis nostris parentibus Deus Imagi-
nem sui & tantam donorum excellentiam ita concrearat, ut
eam, si non pecearent, ad posteros tanquam hæreditarium bo-
num per naturalem generationem traducere, & ad Pacti teno-
rem servandû habiles eos aptosq; generare debuerint, v. Chemn.
T. I. L. C. Loco de Peccato Orig. Cap. 3. quemadmodum hoc ex
propagatione oppositæ corruptionis, seu peccati Originis, facile
colligere licet, ut falsum esse appareat, quod *Bellarmin.* habet, l. de
Gratia primi hominis c. 5. *Iustitiam originalem non fuisse trans-*
fundendam à parente in prolem, sed proli à Deo infundendam, sicut
parentibus data fuerit. Quo sanè respectu si Protoplasti in hoc
Pacto caruissent, particulare tantum, non universale illud fuif-
set, nec solenni in Sina factâ repetitione hujus Pacti debitum, vel
exacta obedientia ab ullo alio hominum exigi, neq; à Christo pro
omnibus hominibus activa & passiva obedientia Legi præstari,
nec ullus Adami filiorum ob violatam Legem damnari potuif-
set. Igitur quemadmodum omnes in Adamo (quorum per-
sonam repræsentabat) peccaverant, ita si Legem DEI ob-
servasset, hæc ipsa obedientia toti posteritati imputata
fuisset, & ad salutem tum spiritualem, tum æternam cessisset.
Ita *Beatiss. Præceptor meus Dn. D. Carpzovius*, Part. I. Syst. Artic.
XIII. Aph. 7. §. 4 Et Artic. XII. Aph. 4 §. 5. inquit: *Si primus*
homo in integritate concreatâ perstitisset, futura fuisset confirmatio
omnimoda integritatis posterorum generatione carnali inde proge-
nerandorum, cum integritate primi hominis. Notabilia sunt, &
infi-

insigniori asterisco signanda, quæ B. Meisnerus habet in Scripto
 Anti Sociniano c. 5: *Nam veluti si superassent primi Parentes
 tentationem Serpentis, unicus ille actus bonus ejus fuisset virtutis, ut
 totam posteritatem conservasset in statu Integritatis. Ita è con-
 trario unicus malus actus contra legem Dei commissus eam vim ha-
 buit, ut Imaginem Dei & rectitudinem concreatam destrueret, mor-
 tem induceret, totamq; posteritatem miserè contaminaret. Idem
 Antropol. Dec. I. Disp. V. Artic. 19. Quæst. 3. Primus homo sta-
 bat & cadebat cum conditione imputandi liberis. Idem B. Bald.
 asseruit Comment. s. i. Cor. XV, v. 7. Adam jus possessionis vitæ
 eterne ad posteros propagasset, si obedientiam legi præstitisset, cum
 hâc enim conditione ipsi jus illud datum fuit Gen. II, v. 17. Fran-
 ciscus Junius Heidelbergæ primùm, deinde Lugd. Batav. Theol.
 Profess. in Thes. de Peccato Orig. Th. 7. Deus prout ordine totius
 creationis suæ totum humanum Genus in Adamo posuerat per na-
 turam, ita ordine justitiæ suæ toti generi in Adamo, in quo pecca-
 vimus, dixerat; Quo die comederis de fructu, illo morieris. Zan-
 chius de Relig. Christ. Cap. 7. artic. 4. Præceptum cum suâ com-
 minatione conjunctum non ad personam Adæ tantum, sed ad totum
 humanum Genus pertinebat. Observationem quoq; merentur,
 quæ Coccejus Theol. Leidenlis profert. Tract. de Fœdere Dei Cap.
 2. §. 47. Quod Deus in Adamo cum toto Genere humano pactus est,
 hereditatem rectitudinis posterorum à Patris mutabilitate suspen-
 dit, optimam quidem rationem habet, (siquidem naturâ, quæ paren-
 tum sunt, videntur esse liberorum Gal. 4, 1. quippe quum liberi pars
 parentum sint) potior tamen causa est sola voluntas Dei, & potestas,
 cujus scil. est & anima Patris, & anima filij Ezech. XVIII, 4. Sci-
 licet voluntas paciscentis Domini sit ratio Pacti. Justo curio-
 siores in indagandis & perscrutandis Dei consiliis hîc esse ipsâ
 pietatis lege prohibemur.*

XII. Pactum ipsum tribus quasi capitibus absolvebatur,
 quorum primum Legem: Alterum Promissionem. Tertium
 Comminationem exhibebat. Lex duplex erat, tum cordi ho-
 minis inscripta, naturalis seu naturæ dicta: tum per verbum
 externum lata & positiva. Lex naturæ, quæ & moralis dicitur,
 secundum Definitionem à Philippo in Examine, item in Locis

II.
 PACTI
 PARTES
 quarum 1.
 Lex tum
 naturæ

Cap. de Discr. V. & N. T. traditum, & à Chemnitio T. II. L. de Lege commendatam, est aeterna & immota sapientia, & regula justitiae in Deo, discernens recta & non recta, & patefacta est hominibus in creatione, & postea saepe repetita & declarata voce divinâ, ut sciamus, quod sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas racionales, & postulans, ut omnes sint conformes Deo &c. Quod in creatione primis hominibus patefacta fuerit non quidem per verbum prædicatum, vel scriptum, sed per habitum concreatum, & quæ ejus ratio fuerit, quod objectum, cum historia creationis à Mose tradita silere hæc de re videatur, ex Imaginis Dei destructæ post lapsum relictis rudibus, ex repetitione & declaratione cum per totam Scripturam, tum in Decalogo factâ, & ex Imaginis divinæ descriptione, commodè & explicatè cognoscere habemus. De reliquiis istis & notitiis connatis, quibus Deus conscientiae addidit judicium, clarissimè nos erudit Apostolus Rom. II, 14. 15. *Cum Gentes, quæ Legem (Mosaicam s. Decalogum) non habent, naturâ, quæ Legis sunt fecerint, ea Legem non habentes sibi ipsis sunt Lex, & ostendunt τὸ ἔργον ἔ νόμος (Legis s. Decalogi contenta) γεγενῆσθαι (esse permanentia & inhærentia) ἐν τῷ σὺν ἑαυτοῦ, simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus.* Jam si gentes, homines post lapsum in corruptione nati, naturâ, quæ Decalogus jubet, suo modo h. e. imperfectè sciunt & faciunt, certè Adamus in Integritatis statu clara Imaginis Dei refulgēs luce, perfectâ eorum, quæ Decalogus & tota Lex moralis præcipit, cognitione instructus fuit. Discrimen istud honestorum & turpium ad modum principiorum practicum naturâ omnibus in universum ab Adamo oriundis hominibus, & sic etiam Gentibus notum, in peculiari Disciplinâ, quam *Noologiam, seu Habitum Intelligentiæ* vocant, accuratiores explicant Philosophi. Ex quorum numero unicū *Calovium* allegasse sufficiat, qui in *Noolog.* suæ Cap. VIII. inter prima principia practica hæc quoque recenset: *Bonum unice est appetendum & amplectendum. Nullo modo mala sunt amplectenda vel facienda. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Deus summo honore colendus. Solus Deus honore colendus divino. Deū*

Ab-

diligere debemus ex toto corde, & ex omnibus viribus. Deus colendus est perfectâ obedientia. Deo magis obediendum quàm hominibus. Veræ pietatis sanctitati studendum. Honestè vivendum. Proximum diligere debemus sicut nosmet ipsos. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nemo ledendus est. Suum cuiq; tribuendum. Mali puniendi. Boni præmiis afficiendi sunt. Inferiores honorare tenentur superiores. Parentes honorandi sunt. Si hæc recta & sana Philosophi ratio naturaliter cognoscit, & conscientia ejus, utpote connatus iudex approbat, quid quæso Adami, omnium quos Sol adspexit, Philosophorum sapientissimi, judicare poterit integerrima ratio? Ex umbra corpus, ex ruderibus ædificiî destructi cognoscas structuram.

XIII. Æternam illam & immotam sapientiam & regulam Justitiæ in Deo. (secundum Philippi Defin. supra allegatam) quæ non in Decalogo tantùm, sed ubicunq; extat in Prophetis & Apostolicis scriptis, declaratur, (ut Chemn. Loc. de Lege verbis Philippi subjicit & in T. III. L. de B. O. Cap. 3. repetit) Legis peritus, ipso Christo iudice, ὁρῶνς, secundum Deut. VI, 1. Lev. XIX, v. 18. ductum in brevem summam contraxit. Matth. XXII, 37. 39. Luc. X, 27. 28. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis, & ex totâ mente tuâ, & Proximum tuum (qui tibi inter creaturas reliquas quoad specificam naturam quàm proximè accedit) sicut teipsum. Hoc fac & vives. Quo primario præcepto ad integras integri Hominis vires respici, & totalitatem temporis, subjecti, objecti, modi, requiri, accuratè observavit B. D. Vilh. Lys. Trif. D. III. Th. 26. quod pluribus in eruditissimâ super h. l. conscriptâ Disputatione, exposuit, & probatum dedit, Dn. D. Joh. Schmid Theol. Argent. quondam primarius, & ad perfectissimam Integritatem totius naturæ retulit Dn. D. Althöferus in Harmon. Evangelist. emedullatâ p. 1064. Ita ut obedientia ab hac lege requisita, non æstimanda sit ex viribus naturæ destitutæ, sed institutæ, ut Gerh. loquitur L. de Lege §. 183. Confer quæ B. Baldwin. habet, Comment. f. Ephes. II. qv. 1. Rigorem ex comminatione universali Deut. XXVII, 26. æstimare possumus. Maledictus, qui non יִקְיָבִי stabiliverit, confirmaverit, (à radice יִקְיָבִי surrexit) verba Legis

B 3

gis

gis faciendo ea: Et secundum versionem Apostoli Gal. III, 10. *Execrabilis omnis, ὅς ὄν ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις, qui non (usq; ad finem vitæ) manserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro Legis, ut faciat ea; Ita ut quisquis etiam totam legem servaverit, offenderit autem in uno, omnium reus fiat.* Jac. II, 10. Quia sc. in cujusvis præcepti transgressione est aspernatio ejus, qui totam legem dedit, ibid. v. 11. Cujus præcepta necessitudine quadam, & communi quasi vinculo cohærent, adeo, ut deficientem nihil juvet antegressa justitia. Ezech. XVIII, 24. XXXIII, 12. & ubi peccatum sit, ibi justificatio ex operibus vel omnibus, vel ullis esse non possit. Rom. III, 20. Quam rigorosam Legem ad hoc Pactum Adamiticum imprimis pertinere, ut demonstrum, ita argumentor. *Quæcumq; Lex perfectam ex integris viribus præstandam obedientiam exigit, ea ante, non post, lapsum, in Statu Integritatis, non corruptionis, primitus lata est. Lex moralis &c.* E. Major ex præcedenti §. X. probari poterit firmiter. Stultum enim esset ejusmodi Legem condere, & sancire, quæ illis, quibus imponitur, impletu sit impossibilis. Minor ex modò allegatis dictis intelligitur. Tertium præceptum, quod Sanctificationem Sabbathi, & ab omni opere abstinentiam &c. præcipit, scrupulum si injiciat, distinguendum erit, monente magno Chemnitio T. II. L. C. Artic. de Lege generale & morale in hoc præcepto à speciali & ceremoniali. Illud est Juris naturæ, immutabile, & ad omnes pertinens homines, nimirum, inter negotia hujus seculi, quibus hæc vita carere non potest, tempus aliquod tribuendum esse ministerio verbi ac ceremoniis, & ordinis & decoris causâ huic rei certos dies esse destinandos &c. Hoc tanquam involucrium Mosaicum populum Israel tantum, stante ipsorum politia, obligavit.

XIV. Legem illam moralem Protoplastorum notitiam non fugisse insuper ex ipsius concreatæ Imaginis Dei, suprâ explicatæ, conditione probari potest: *Non enim in homine integro imperitia fuit, & puerilis ignorantia & simplicitas, quod Schmalz. asserit contra Franzium D. 2. & Socinus de statu primi hominis p. 118. seqv.* Sed sapientia singularis, & rerum theoreticarum & practicarum tanta cognitio, quanta in nullo hominum

num

num post lapsum reperitur. Eph. IV, 25. Col. III, 10. Theologia Paradisiacæ XVII. recenset Articulos, quorum 7. de Lege, *Ampliff. Dn. D. Calovius* in *Isag.* p. 53. seq. Præterea rectitudo involuntate non erat nuda innocentia, & culpæ vacuitas, quod *Socini* assertum *Prælect. Cap. 2. & 3. Hugoni Grotio* complacet *Voto pacis artic. 2. & Annot. ad Cassandr. Consult. artic. 2.* Nec quod *Timplero* arridet in *Antropol. Cap. I. Probl. 12.* Non-justitia; Sed *δικαιοσύνη καὶ ὁσιότης τῆς ἀληθείας*, h. e. quemadmodum *emphasin* hujus phraseos rectissime expressit *Lutherus* eine rechtschaffene Gerechtigkeit und Heiligkeit. Justitiam vero cum jure convenire necesse est. Hoc a. sibi primus homo non finxit, sed accepit. Accipere autem à nullo Superiori potuit præter Deum. E. Justitia ejus & Sanctitas fuit congruentia cum Lege divina non ignotâ, sed vel per revelationem internam notissimâ. *Socinianos* contradicentes refutatos vide à *B. Meisn.* in *consideratione Theol. Phot.* p. 669. seqq. *Calovio* in *Socin.* *profl.* p. 233. seqq. & aliis.

XV. Lex per verbum externum lata & positiva non unico isto præcepto de non-comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali absolvebatur, quod solùm *D. Calixtus* allegavit *Tractat. de Pactis* §. 24. Sed tribus constabat præceptis, uno, ut sic vocem, Ecclesiastico, altero Politico, tertio Oeconomico (α) *Ecclesiasticum præceptum* benedictione & sanctificatione Sabbati sanciebatur, de quo *Gen II, 3.* ubi Deus dicitur diei septimæ benedixisse, & additis promissionibus eam sanctificasse i. e. Sanctis operibus in eâ suscipiendis destinasse. Quam sanctificationem non tantùm exemplarem & doctrinalem, (quævit enim hoc die Deus, ut ab operibus suo exemplo quiescendum esse doceret,) sed etiam præceptivam fuisse, rectè statuit *Gerhardus* in *Comment. s. Gen. II.* p. 35. seqq. Idemq; docent, & Sabbati religiosam observationem ante solennem Decalogi promulgationem in Ecclesia Patriarcharum usu receptam fuisse asserunt *Baldwin D. V. s. Ep. Ebr. D. Job. Forsterus* *Thesaur. Catech. Decad. 1. Probl. 7. Th. 4.* seqq. Quam sententiam quoq; è veteribus *Philo, Chrysostomus, Theodorus, Augustinus,* aliis Patribus *Justino, Irenæo, Tertulliano, Eusebio, Damasceno* in contrarium inclinantibus, propugnarunt, quibus

*Tum positi-
va.
constans
Præcepto
Ecclesiasti-
co.*

Politico.

quibus & plurimi recentiorum Calvinianorum, se associarunt, ut videre est ex Riveti contra Gomarum negantem disputantis Comment. in Ex. XX. & Antony VValei LL. CC, p 567. (B) Alterum Præceptum, quod Politicum dici potest, legitur Gen. II, 17. Et præcepit Dominus Deus homini dicendo: Ex omni arbore horti אֲכַלְתָּ לֶחֶם comedendo comedes (quæ locutio non est præceptiva, sed permissiva s. Gerhardi Comment.) Et ex arbore scientie boni & mali non comedes: Quocunq; enim die comederis ex eo, moriendo morieris. De appellatione & conditione arboris istius v. Gerhardi Comment. in Gen. & Disp. Isag. de Imag. Dei. Excell. Dn. D. Chemnitij Prof. & Superint. Jen. de hac Arbore peculiaris Disputatio, & B. Carpz. P. I. Syst. Artic. X. Aph. 14. §. 4. Hoc verò interdictum à Deo non erat datum in occasionem labendi, quod asserit Zanchius l. 5. de N. D. c. 2; Sed ad præbendum specimen & documentum virium congenitarum, quo Deo & Angelis perfectam suam obedientiam probare posset, & demonstrare suum, quod nactus esset, dominium summum & independens non esse, seq; Deum suum, unum rerum omnium Dominum non superiorum tantum, sed & inferiorum facultatum & membrorum obedientiam cultuq; devotè prosequi. (γ) Præceptum Oeconomicum. Lex matrimonialis erat de legitimo Binorum conubio Gen. II, 24. consignata: Relinquet homo Patrem & Matrem suam & adhærebit Uxori suæ, & erunt (duo) in carnem unam. Quæ verba cum indivulso nexu cohærere videantur cum præcedentibus Adami verbis, dubitari possit, num Adamo cum Glossa & Scoto l. 4. Sent. D. 26. quæst. unâ, num Mosi cum Calvino adscribi debeant, nisi certissimos de vero hujus Præcepti Autore ipsa Veritas nos redderet. Matt. XIX, 5. Non legistis, quin, qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ &c. B. Dn. D. Polycarpus Lyserus in Harmon. Cap. 129. & Glassius in Gramm. S. p. 290. It. Calixtus & Jansenius s. h. l. ut apparentem tollant contradictionem, verba ista Deo attribuunt principaliter, Adamo ut Dei præconi ministerialiter. Gerhardus Deo immediatè ea adscribit, & cum præcedenti versu 22, parenthesis inserto versu 22, connectit Tom. VII. Loc. de Conjug. §. 45. Quo & se.

Oeconomico.

& seqv. §. 46. 47. prolixam s. hoc præcepto commentationem instituit. Sanè, qui Christo credunt, verba ista præceptum Dei esse non ambigunt, id quod impræsentiarum nobis poterit sufficere.

XVI. Promissiones quoq; perfectæ Legis obedientiæ ex viribus sufficientibus & concreatis præstandæ ex merâ liberalitate & bonitate Dominus Deus noster addidit, præmiaq; longè amplissima, corporalia, spiritualia, temporalia, & æterna decrevit, quæ omnia unico & maximè emphatico vocabulo *vite* passim in Scripturâ comprehendi solent Lev. XVIII, 5. Deut. XXXI, v. 6. 15. 19. Ezech. XX, 11. Gal III, 12. Rom. VII, 10. Ubi vocabulum *vite* non physicè, sed moraliter, h. e. pro felicissimo vitæ statu, eoq; non tam præsentis quam futuro sumi, nemo tam bardus & blennus est, qui non intelligat. Vitam enim naturalem jam habebant Protoplasti, felici quoq; gaudebant statu, & potentiâ non-moriendi pollebant, aliud igitur quod futurum erat promitti necesse est: Nimirum eorum in felicitatis hujus statu, permanens, & ex eo, suo tempore in perfectè beatam æternamque vitam sine morbo & morte translatio. Eorum scil. non exutorum naturâ, sed supervestitorum gloriâ, uti *Marius* loquitur s. Gen. III, 22. (Confer quæ *Bellarmin.* habet L. de Grat. primi hominis Cap. 18. *August. Torniellus* in Annal. sacris p. 51. *Scottus, Valesius, Cajetanus* citati à *Cornel. à Lapide* s. Gen. III. *Cloppenburgius* Disp. 1. de Fœdere Dei. *Coccejus* Tract. de Fœdere Dei Cap. 2. & 3. *Andr. Essenius* Syst. Tit. IX. de Fœdere Legali.) Quemadmodum Christi explicatio hoc extra dubitationis aleam ponit Matth. XIX, 16. 17. Luc. X, 28. Quærentibus enim de medio legali adipiscendi vitam æternam: *Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit Christus, *Si vis intrare vitam, serva mandata. Hoc fac & vives.* Chemn. T. I. L. de Lib. Arbitr. m. p. 222. b. huc quoq; refert d. Eccl. XV, 14. 15. & *Augustini* allegat explicationem, in Hypog. 3. dicentis: *Adamo dictum est illud Eccl. 15. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Hinc quidam Veterum distinxerunt inter viam innocentia & pœnitentiæ, illamque promissionibus allegatis commonstrari dixerunt, quod commemorat

2. Promissio.

C

morat

morat & approbat *B. Lyserus in Harm. Cap. 105. 1121.* Quòd verò promissiones istæ ad hoc cum Protoplastis Pactum pertineant, ex iis, quæ supra §. 10. seqq. dicta sunt, patet. Sanè si Lex moralis hoc pactum ingreditur, promissio illius nullo jure excluditur. Et quia Lex post lapsum non potest vivificare Rom. III, 20. VIII, 3. Gal. III, 21. Ergo hæc promissio, si unquam, ante lapsum habuit locum. Si enim finem nunquam potuisset sortiri, irrita, imò illuforia omnis hæc fuisset promissio, quod de Autore illius Optimo & prudentissimo vel suspicari extremæ est impietatis. *Socinianos* hîc in arenam nobiscum descendentes refutatos & superatos v. in *B. Meisn. Confid. Theol. Phot. Cap. V. p. 790. seqq. Dn. D. Calovij Socin. proflig. p. 323. seqq. Cocceji Tract. de Fœdere Dei. Cap. II. §. 26. seqq.*

XVII. *B. Henricus Hopfnerus* Theologus cùm in vivis esset ὁ πένυ, de promissionibus legalibus ad Adamum quoq; pertinentibus insigniori judicii dexteritate *Disp. X. de Justific. Aph. 6. §. 22. 23.* nos ita erudit: *Ante lapsum in statu integritatis Adamus fuit Dei filius non per creationem tantum, sed etiam ex fœderali dispositione, quâ fuit adoptatus sub conditione perfectæ obedientiæ Legi Dei præstandæ, additâ simul præmij propter istam obedientiam ex pacto legali conferendi, & pœnæ, si non obediret, denunciatione, ut sic homo magis ad obedientiam excitaretur. Quod si Adamus eam obedientiam præstitisset, vitæ æternæ hereditatem adisset, sed ita ut ea hereditas fuisset obedientiæ præstitæ merces propriè sic dicta, seu, ut Paulus Rom. IV. nominat, merces ex debito i. e. propter opera, quibus Legem sibi positam impleisset, debito, inquam, ex conventionem tantum, & promissione legali, non ex vi & naturâ operum ipsorum. Sola enim Christi obedientiâ suâ dignitate & vi sic est meritoria salutis nobis acquisitæ, & causa impulsiva, quæ movet Deum, ut nos salvet: Homo a. integer, si obediisset, quod facere debuisset, fecisset. Luc. XVII, 9. 10. Scilicet, Præmium hoc ut merces danda κατ' ὀφείλημα ex debito Rom. IV, 4. offerebatur. Non quod extra Pacti hujus considerationem, homo, qui Dei Creatoris sui servus & mancipium est, aliquid mercedis loco postulare possit. Tunc enim, etiamsi omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, oportet nos, quemadmodum Christus jubet, dicere, non*

EX

ex mendaci humilitate, quod Stapletono placet, sed ex submisso animo id quod res est: Ὅτι δέλοι Servi (non μισθωτὴν mercenarii, aut famuli conductitii, ut Maldonatus aliiq; Pontificij & Hugo Grotius exponunt) ἀχρηστοί ἐσμεν: inutiles sumus, h. e. qui Deo utpote ἀνταρκῆ & summè bono nullam servitiis nostris præstamus utilitatem, nihilque operibus nostris mereri possumus. Quemadmodum hoc dictum accuratè explicat, & à Pontificiorum corruptelis vindicat Dn. D. Althoferus in Harm. Evang. emedullata p. 1252. seqq. Sed quod tota mercedis hujus, & debiti divini ratio ex merà Dei paciscentis liberalitate, & effusà bonitate pendeat. Neq; tamen eò progredi debet mentis humanæ insolentia, ut propterea vel ipsam perfectam & omnibus numeris absolutam Legis impletionem meritum propriè sic dictum celebrare audeat, quum neq; de condigno neq; de congruo, neq; ex pacto, (quod posterius Coccejus affirmat Tract. de Fœdere Dei Cap. II. §. 41) tale sit, nec mercedem mereatur, sed consequatur, ut præmium, non quidem liberum, neq; tamen ex justitiæ distributiæ, aut commutativæ, sed veritatis & pacti lege debitum. Meritum enim propriè sic dictum definitur, quòd sit opus indebitum, non ex viribus aut operibus, ab eo, cui præstamus acceptis, sed de nostro præstitum, in emolumentum illi, cuius gratiâ fit, cedens, cui ex se & lege Justitiæ debetur merces proportionè ei respondens D. Althoferi Harm. Evang. emedullata p. 331. Quæ definitio etiam perfectissimæ Legi factæ obedientiæ nullo jure competere potest. Qui vocabulo merendi pro consequi vel adipisci usi sunt commodà opus habent interpretatione. Igitur ille, qui ex operibus justificatus fuisset, secundum Apostoli effatum, habuisset quidem κἀυχῆμα, quod gloriatur, at non apud Deum Rom. IV, 2, (1) qui nihil ab homine emolumentum accipit Job. XXXV, 7. XLI, 2. Rom. XI, 35, cui (2) nos, nostraq; omnia vel creationis jure debemus, cuius mancipia sumus. Luc. XVII, 9. 10. 1. Cor. IV, 7, & (3) inter cuius præmium infinitum & nostra opera finita nulla est proportio.

XVIII. Quemadmodum verò Deus ex optimâ eâq; liberrimâ voluntatè, & singulari benignitate præmiis perfectè obedientem prosequi promisit, ita Justitia ipsius postulante, pœ-

3. Commi-
natio.

nas transgredienti indixit, & hujus justæ suæ voluntatis noti-
 tiam cordi hominis non tantum indidit, & conscientiæ natura-
 le & domesticum tribunal addidit, sed verbo eam quoque revela-
 vit, & legi de non comedendo positivæ specialiter annexuit, non
 ac si hujus legis violatione factâ demum mortis infligenda sit
 pœna, & Legis naturæ transgressio immunitatem quandam sibi
 promittere haberet, sed ut ex illius præcepti, quod omnium le-
 visimum & minimum videri posset, transgressionis pœnâ, de
 majorum neglectu iudicium ferendum, & si non de majori, pari
 tamen vindictâ timendum esse, indicaret. Comminationis
 hujus à Deo factæ summa legitur Gen. II, 17. *Quocumq; die co-
 mederis ex eâ* (scil. arbore scientiæ boni & mali) **וּמֹתוֹתְךָ מוֹתוּן**
moriendo morieris, h. e. omninò & certissimè, quin & morte hor-
 ribilissima morieris v. *Glassij Phil. Sacræ L. III. Tract. 3. Can. 37.*
& Flacy Clav. Part. I. p. 900. n. 4. August. l. 13. de Civ. D. cap.
 12. ita commentatur: *Non tantum primæ mortis partem prio-
 rem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus
 privatur animâ, nec solum ipsam totam primam, ubi anima & à
 Deo, & à corpore separata punitur, sed quicquid mortis est, usq;
 ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quæ est nulla posterior, com-
 minatio illa complexa est: Mortem nimirum & Gratiæ, & Na-
 turæ, & Gloriæ, secundum explicationem Meisn. Ph.S.P. I. Sect. 3.
 Cap. 5. qv. 2. D. W. Lyseri Trif. Disp. I. §. 41. Carpzovij Syst.
 Theol. D. I. Artic. XII. Aph. 7. §. 4. Calixtus verò, quod notam
 mereri videtur, mortem spiritualem s. Gratiæ, quæ in impiis et-
 iam ante obitum deprehenditur, in explicatione hujus commi-
 nationis emisit, & quasi exclusit *Tract. de Pactis n. 19. 20.* *Mors
 Gratiæ consistit in maledictione tum Spirituali h. e. in animâ à
 Deo, (quoad gratiosam præsentiam) & Regno ejus separatione
 Es. LIX, 2. Hos. IV, 6; tum corporali h. e. in labore, dolore,
 & omni hujus vitæ miseria Genes. III, 16. 17. 18 Job. V, 7. Ad
 mortem naturæ s. corporis pertinent quoque ejus Prodromi, mor-
 bi. Ipse enim quotidianus defectus quid aliud est, quàm quedam
 prolixitas mortis, inquit Gregorius M. Hom. 37. in Evang. Et Pe-
 disse quæ, corruptio, vermes &c. Job. XVII, 13.**

*Mortis
 Gratiæ*

naturæ

XIX. Ante lapsum homo erat immortalis, non quòd planè non posset mori, quòd alterius vitæ est, sed quòd posset non-mori. Illud actum tollit & potentiam: Hoc actum tollit, potentiam verò omnem, etiam remotam non excludit. Ergò ut voluntas Adami in utramq; partem ad bonum & malum flecti poterat, sic idem vel vitam retinere, vel mortem sibi per peccatum poterat accerferè. Et quando corpus primi hominis immortale dicitur, immortale est, quòd actu non moritur, mori tamen certâ positâ conditione potest, ita ut *ἀνώρωτος* & sensu lato mortale quoq; dici possit, quòd uno ore asserunt *Meisn. P. I. Ph. S. Sect. 3. Cap. 5. Qu. 2. Gerh. LL. CC. artic. de vita æterna § 86. Himmel. Syntagm. Disp. 7. th. 48. 55.* Concedimus, inquit *Baldwinus* ad Rom. V. qu. 2. corpus ante lapsum tanquam compositum ex elementis naturaliter interitui obnoxium. *B. Carpzovius* noster in *Sysem. Theol. P. I. Artic. X. Aph. 12. §. 2.* Præceptoris suo ita suffragatur: *Per immortalitatem hanc intelligimus immortalitatem naturalem ex concreata gratia dependentem, quâ homo ita à Deo conditus fuit, ut, quamvis corpus ejus remotam istam potentiam moriendi haberet, & ex elementari materia compositum esset, quæ resolvi iterum posset, tamen nunquam ab anima istud removeri, sed perpetuò cum ea unitum esse deberet. Et §. 5. Potentia propinqua, quæ necessitas moriendi est, orta ex inclinatione ad peccatum & meritum mortis, absuit &c. Suâ culpâ necessitatem moriendi sibi attraxit. Neq; enim Deus tanquam pœnam intentare sive comminari potuisset mortem, vel moriendi necessitatem, si aliàs & etiam absq; commisso peccato moriturus homo fuisset, rectè inquit *Calixtus Tract. de Pactis §. 18.* Verùm hisce contradicere videntur, quæ suprâ posuerat §. 9. *Fructus arboris vitæ pollebat facultate, & quidem nature suæ, ut videtur, divinitus insita, quæ debilitates corpori aliàs secundum naturam incumbentes, averteret morbosq; & mortem arceret. Si mors ante lapsum hujus arboris fructus esu arcenda fuit, ergone comestionis ejus intermissione mors adfuisset, si vel maximè non peccasset? Quare prudenti studio Arbor vitæ non ut remedium præservans, sed ut medium conservans descripta fuit à *Magnif. Dn. Præsidi Brev. Disp. III. Suppl. th. 16. Conf. Ampliss. DN. D. Chemnitz Tract. de Arbore Vitæ, Disp. ult.***

XX. Mors Gloriæ est totalis à spe & accessu gloriæ exclusio, quæ in animâ à corpore solutâ inchoanda, post resurrectionem & animæ cum corpore redunionem in toto supposito continuanda, quæ & sempiterna, novissima, secunda, & pessima dicitur vid. Apoc. XX, 14. *D. Calixtus* hîc à quibusdam Theologos nostros olim impetentibus, quos *B. Balduin. in Comment. s. i. Cor. XV. qv. 2.* solidè refutavit, divortium facere videtur, quando *Tract. de Pactis §. 19.* ita inquit: *Generalis Resurrectio, quæ etiam damnandos includit, in hoc decretum referenda est, beatorum verò quatenus beata, & membrorum cum capite suo conjunctio erit, Christo Redemptori imputanda venit. Sicut enim in Adamo omnes, (qui videlicet Adami sunt, & ab eo originem communi viâ ducunt) moriuntur, ita & in Christo omnes, (nempe qui sunt Christi, ut mox subjungitur) vivificabuntur 1. Cor. XV, 22. 23.* Ubi per generalem Resurrectionem eam intelligere videtur, cui ut Generi resurrectione ad vitam & mortem tanquam species subordinantur. Verùm quia quod de Genere dicitur, etiam de Speciebus dicitur, & beata s. quæ ad vitam est resurrectio hâc ratione ad hoc Pactum pertinebit, atq; sic mortem in statum integritatis inducit *Calixtus*, & hoc Pactum cum sequente confundit. Si dicas Resurrectionem beatam, non ut beata, sed ut resurrectio est referri ad hoc pactum Adamiticum, quia resurrectio quâ talis, quæ *Calixto* dicitur generalis, præscindendo num ad vitam sit, num ad mortem, eò pertineat: Nec hoc recto stat talo. Quemadmodum enim hoc Pactum non aliter considerat mortem, quam ut poenam, ita resurrectionem non aliter, quam medium executivum ducens à morte primâ in mortem secundam *Apoc. XX, 14.* Non igitur Deus hoc in Pacto resurrectionem quâ talem seu generalem, prout præcisione mentis concipitur, sed eam quâ ad mortem, condemnationem & perpetuam ignominiam, dicitur *Dan. XII, v. 13. Job. 5, 29.* decrevit. Per generalem v. resurrectionem si universalem & singulis hominibus lapsis communem intelligat *Calixtus*, eam quidem hâc comminatione intentari non negamus, sed quia hæc ita ab eodem describitur, ut non tantùm, sed etiam damnandos includat, eandem quoq; quam modò posuimus notam incurrit.

XXI. Alia quoque infelici proventus fertilitate primum lapsum secuta sunt mala, nimirum Imaginis divinae destructio, Justitiæ originalis amissio, Intellectus, voluntatis, & appetitus depravatio & corruptio, & sic totius Integritatis primæve status inversio, ejusque ad posteros per carnalem, & sui similis generationem propagatio. Quæ omnia quemadmodum ad labentis hominis effectus, & Lapsus consequentia rectissime referuntur, ita pœnis à Deo judice interminatis & inflictis imprudenter annumerari non debent, & ob cætos, qui hinc se nobis objiciunt, Adversarios, Arminianos scilicet & Socinianos, cautè loquendum. Quorum Strophis quò felicius nos expedire valeamus, evolvi poterunt, quæ acutè hac de re cum illis disputat *Magnificus D.N. Præses Disp. I. de Aux. Grat. Cap. 3. n. 20. 21. 22.* Quamvis enim Deus hæc lapsum sequi permiserit, eaque permissio, ad actus Dei judiciales & vindicativos quâdam ratione referri possit, non tamen accuratè loquendo hominem justitiâ originali, & imagine Dei privavit, ac contrario habitu corrumpit atque infecit, quod statuere, esset multorum absurdorum semen in fertilem ingeniorum lascivientium agrum spargere. *Homo enim, ut B. Carpzovius loquitur, dum à verbo Dei recessit primò, & Deo similis non amplius mansit, sed Diabolo assimilatus fuit, eo ipso privavit sese imagine Dei, & sibi attraxit extremam corruptionem. P. I. Syst. Artic. XII. Aph. 7. §. 1.* Neque tamen quando Imago Dei tota amissa à Nostratibus dicitur, hoc ita accipiendum est, quasi nullæ ejus reliquæ remanserint, quum respectu illarum etiam post lapsum Homo dicatur Imago Dei I. Cor. XI, 7. & ad Imaginem & similitudinem Dei factus Gen. 9, 6. Jac. 3, 9. Sed quòd totalitas & integritas imaginis sit amissa, vel quòd tota Imago Dei sit amissa, sed non totum Imaginis. Quemadmodum enim rudera domus, sunt particule domus destructæ, ita rudera imaginis Dei sunt reliquæ Integritatis deperditæ. *v. Gravv. s. Aug. Conf. Artic. II. m. p. 30. Gerhard. Comment. in Gen. I. Scit.*

XXII. Finis hujus divini cum Protoplastis initi pacti erat ex parte Dei, ut Bonitas ejus & Justitiæ manifesta fieret & celebraretur: Ex parte hominis, ut per legis divinae tum cordi inscriptæ, tum peculiariter revelatæ perfectam observationem Statum integritatis concreatum conservaret, & æternam perfectèque beatam

III.
FINEM.

tam

IV. *SUMMAM* tam vitam consequeretur. Si rem totam in *summam* quandam *SUMMAM* & *formam* *Pacti* contrahere volumus, perinde fuit, ac si Deus hunc in modum cum Protoplastis pactus fuisset: Ego Jehovah Deus & Dominus vester Vobis primis à me creatis hominibus, qui non vestram tantum, sed omnium quoque à vobis naturali modo generandorum hominum personam in hoc pacto sustinetis, notum facio, quod, si Legibus meis, tum cordibus vestris inscriptis, tum verbo à me latis exactam obedientiam præstiteritis, quemadmodum præstare potestis, & donis sufficientibus in ipsâ statim creatione instructi estis, felicitatis, quâ nunc gaudetis, non interruptæ diutissimam fruitionem, ejusque ad posteros vestros translationem vobis sim concessurus, vosque tandem cum mihi visum fuerit, non ex merito vestro, sed liberali bonitate mea, nulla interveniente morte, ex hac vitâ ad longè feliciorē, & omnibus numeris perfectè beatam, cœlestem atque æternam vitam translaturus: Si inobedientes fueritis, & vel minimi præcepti, de non comedendo fructu vetito vobis latis, transgressores inveniamini, cum gratiâ meâ potentiam non moriendi concreatam à vobis auferam, & mortis maledictæ subeundi necessitatem vobis, & omnibus in vobis peccantibus posteris vestris, imponam.

V. *TITULUM* XXIII. In spem bonam erigor fore, ut ex hac mediocri, pro modulo virium communicatâ *Pacti* hujus consideratione, quæ vera ipsius fuerit ratio, & quid præ reliquis in eo attentam observationem mereatur, pio & affectuum œstro non impedito Lectori quoad antenus innotescat. Quo nomine vero & titulo illud fit insigniendum non sine ratione quæri posset? Dn. D. *Henricus Hopfnerus*. p. m. Disp. X. de Justific. Aph. 6. th. 22. D. *Vilhelmus Lyserus* Trif. Disp. 2. §. 30. *Uterque* *Calixtus* Parens & Filius. Ille Tract. *Hic* in Thesibus de *Pactis*, hoc *Pactum* primum *Pactum Legale* appellant. Ex Nostratibus D. *Polycarpus Lyserus* Junior Disp. de *Fœderibus* th. 29. Ex Calvinianis *Rollocus* Tract. de *Vocat. efficaci* Cap. I. & II. *Olevianus* Tract. de *Substantia Fœderis*. *Cloppenburchius* Disp. I. de *Fœdere Dei*. *Coccejus* Tract. de *Fœdere Dei* Cap. 2. & 3. & alii *Reformatæ*, quam vocant, *Ecclesiæ* *Doctores* *Pactum* vel *Fœdus Operum* vocant, ab apposita conditione,

ditione, & medio perveniendi ad æternam salutem, exactâ nempe operibus tum internis, tum externis Legi præstandâ obedientiâ. Quæ appellationis ratio, quamvis sine ratione non sit, non satis apta tamen & commoda videtur ad differentiam quasi specificam, hujus ab omni sequenti Pacto etiam Mosaico in contradistinctione, quam hîc fieri necesse est, significandam, nisi universalitatis termino restringatur, & Pactum Legale, vel Fœdus Operum Universale, Generale, & à Deo cum toto humano Genere initum dicatur.

XXIV. Ut ut ex dictis Definitionem ipsemet facile constituere possem, placet tamen Descriptionem B. Dn. D. Polycarpi Lyseri quondam Superintend. & P. P. Lipsiensis Disput. Ejus de Fœderibus Anno 1620. habitâ, hîc subjungere, quæ sic habet: *Fœdus Operum est, in quo Deus ex singulari bonitate stipulatur & promittit gratiam & vitam æternam homini omnibus numeris perfectam Legi operum obedientiam præstanti, annexâ comminatione mortis æternæ, si perfectam obedientiam non præstiterit: Quod Fœdus Deus pepigit statim initio cum primis hominibus, à quo per inobedientiam exciderunt, & fœdifragi facti sunt.* Hæc Lyserus.

XXV. Nimirum Protoplasti à Diabolo serpentem naturalem quendam obsidente blandi verborum imposturâ seducti, non unâ, sed variâ *Legis divine, tum naturalis, tum positivæ, fœdifragi facti sunt transgressione, & libertate arbitrii abusi omnibus facultatibus ac membris se à Deo averterunt pessimè. In Intellectu dubitare de verbo Dei cœperunt, eiq; Diaboli mendacia ceu veriora prætulerunt; Voluntate in bona ista fictitia, scil. similitudinem Dei majorem, excelsiorem statum, majorem potentiam, &c. à Satanâ promissa lati, & sic increduli facti, oculorum atque carnis concupiscentiâ fructus arboris vetitæ appetiverunt, ac locomotivâ exinde excitatâ, post teporem in precibus, incuriam, circa verbum, & pessimam quandam securitatem ad consummationem peccati per actus externos & fructus vetiti comestionem abusi sunt turpiter.* v. post Gerh. Brochm. LL. CC. Meisn. Anthropol. Decad. 1. Disp. 4. Gerh. & Rivetum in Genes. 3. Andream Villetum & Vossium in Disput. de Lapsu primi hominis. Sicq; non contra Legem positivam tantum, sed contra utramq;

VI.
TRANS-
GRESSIO-
NEM.

D

legis

Legis naturæ, seu Decalogi, tabulam peccaverunt, quod per singula præcepta optimè deduxit *Himmelius*, Syntagm. Disp. 8. Th. 54.

XXVI. Hac ratione Protoplasti propriâ culpâ de statu felicissimæ integritatis in statum miserrimæ corruptionis sunt prolapsi. Lapsi à luce sapientiæ in errorum tenebras; A voluntatis & appetitus rectitudine in Concupiscentiam Legi divinæ rebellem; A peccati & mortis evitabilitate & spe vitæ cœlestis, in mortis, corporalis & spiritualis, temporalis ac æternæ, necessitatem; A perfecto in Creaturas inferiores dominio, & prompto eorundem obsequio in plurimarum quasi seditiosam sævitiam, & nocendi quendam furorem; Ab amœna Paradisi habitatione ad maledictæ possessionis molestissimam culturam; Ab amicitia Dei in iram Ipsius, & justum rigorosumque iudicium; A divinæ Imaginis per generationem propagatione, ad corruptionis suæ, & mali habitus in posteros traductionem, prout hæc miserrima Status primi Metamorphosis passim à Theologis Orthodoxis describitur, solideq; probatur & à *Scholasticorum*, *Arminianorum*, *Photinianorum* incrustationibus & pigmentis nudatur, è quibus evolvi præ aliis merentur *Meisn.* & *Gerb.* I. alleg. *Hunnius* in Exam. Errorum Phot. de Statu peccati. Maxime Reverend. DN. Præses Disp. I. de Aux. Grat. Cap. III. th. 21. *Ampliss.* DN. D. *Calovius* in Socinism. profig. Sect. 4. Artic. 2. & in Confid. Arminianismi Cap. 7. qv. 1. & 2. *Leidenses* in Synopsi Disp. 14. *Maresius* in Theol. Elench. Controvers. II.

XXVII. Quemadmodum verò Deus cum primis nostris Parentibus, quâ talibus, non tantum ut hominibus privatis, patet erat quod pluribus Sup. N. XI dictum, ita illis non sibi tantum, sed toti quoq; posteritati, per carnalem generationem ex ipsis oritura, lapsi sunt, ita ut perinde transgressionis illius rei facti simus, ac si actu omnes cum Adamo exstitissemus, & eundem in modum prævaricati fuissetemus. Fuit Adam, & in eo, (non tam ob naturalem & potentialem generationem, eo enim respectu semper in ejus lumbis fuimus, etiam cum in actionibus merè privatis, nobisque non imputatis occuparetur; quàm ex lege pacti, & respectu ejusdem actualis æstimationis ac imputationis Dei)

Dei) fuimus omnes: Perit Adam, & in eo periimus omnes: con-
 cinnè dixit Ambros. in Luc. 15. Eoq; perspicuè satis expressit
 quod Apostolus dicit Rom. V, 12. Nos in Adamo omnes peccasse,
 mortem ceu primi peccati effectum in omnes homines pervasisse, &
 in eos quoq; regnasse, qui non peccaverant ad similitudinem trans-
 gressionis Adam v. 14. Et quamvis de Jure divino imputandi pec-
 catum Protoplastorum toti Generi humano multa curiositate,
 quam pietate majori soleant quæri, quæ cum cura ventilavit B.
 DN. D. Johan-Tobias Major, Prof. quondam Jenensis in peculiari
 de hoc Themate Anno 1647. habitâ Disputatione, neq; negan-
 dum, quædam hîc occurrere arcana occulto & justo Dei judicio
 permittenda, & cum Apostolo exclamandum: *ὡς αἰετὸς ὄντων
 τῶν κρυπτῶν αἰετῶν: quàm imperscrutabilia sunt judicia Dei!* Ro-
 man. II, 33. Ex majoribus tamen, & cum periculo quodam con-
 junctis difficultatibus expedire non infeliciter nos poterimus, si
 observemus, (1.) *Vi Pacti* divini Adamum & sterisse & cecidisse
 cum conditione imputandi liberis, quorum personam quoque
 in hoc Pacto, ut supra dictum, sustinebat: (2.) *Quod Parentes*, si
 bona ad posteritatem transferenda amittant, iis quoq; carere fa-
 ciant liberos, quemadmodum Parentibus feudum amittenti-
 bus, idem amisisse censentur liberi s. *Gerhard. Aphor. Theol.*
Cap. 9. Aph. 35. (3.) *Mortem* aliasq; pœnas Gen. II & II. in-
 terminatas primam transgressionem Adamiticam, non quatenus
 talis vel talis transgressio fuit, sed quatenus peccatum & *αἰτία*
 fuit, promeritam esse; Imò mortis pœnam infligendam fuisse,
 si alio modo Legem Dei, quæ vel naturæ erat, vel peculiaris reve-
 lationis, violasset. *Vid. quæ S. dicta sunt N. XVIII.* Etenim quod
 Adami peccatum, quatenus peccatum est, invexit, id de jure o-
 mnia peccata important, & sic omnes Adami posteris, ob peccata
 propria, etiamsi peccati Adamitici ex tenore Pacti rei facti non
 fuissent, mortem subire meritò cogerentur. Finis enim, & *sti-*
pendium peccatorum (quæ à posteris Adami committuntur) *mors*
est. Rom. VI, 21. 23. *Peccatum à concupiscentiâ originali s. con-*
nata profectum, progignit mortem. Jac. I, 15. (4.) *Deum*, quem-
 admodum justus & fortis zelotes est, iniquitatem Parentum visi-
 tans in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui i-
 psam

psum oderunt. Exod. 20, 5. etiam quando peculiariter de ejusmodi imputatione pactum non sit, (quod circa primum Protoplastorum peccatum factum fuisse dictum est): Ita eodem jure ab omnibus hominibus commissorum à primis parentibus peccatorum pœnam sumere potuisse.

XXVIII. Pugnare cum assertionibus hisce nostris, & non levem parere difficultatem videtur, quod Deus apud Ezech. XVIII, v. 20. dixit verbis notatu dignissimis: **בן לא ישיטון בעון אביו** Filius non portabit iniquitatem Patris. Ubi **ישיטון** hoc loco idem est ac *expiabit*, quemadmodum radix ejus **נשט** de expiatione typica per hircum emissarium. Lev. 16, 22. Aaronem Exod. 28, v. 38. Lev. 10, 17. Num. 18, 1; & Antitypica per Christum facta usurpatur. Es. 53, 4. Quare LXX. **οτι ελαβεν ο υιος αδικιας** &c. reddiderunt. Pagninus v. præced. 19. *Cur non portabit filius pœnam patris?* phrasin hanc hebræam vertit. Cujus dicti sensus ut eò felicius comprehendatur sedulo animo observandum, quod hoc dictum (1.) non accipiendum de pœnâ inflictâ. Nam bono à parentibus per divinam Nemelûn sublato carere liberos, experientia satis comprobatur; Sed de pœnâ infligendâ. (2.) *Quod de Filiis parentum peccata non imitantibus, & piè viventibus sit intelligendum, id quod ex v. 14. seqq. clarissimè patet.* Item (3.) *de peccatis parentum personalibus, & maledictis parentum personæ factis.* Expendendum (4.) *quod l. allegatus ad quemvis casum se extendi non patiatur, quia de speciali quæstione Deo cum Israelitis res erat, quod ex Thematis, scopi, antecedentium, & consequentium accuratori consideratione patet.* *Questio s. Thema erat:* Num Deus injustè faciat, quod ab Israelitis tunc temporis pœnas exigat? Illi affirmabant, & in judicii divini processum dictorio quodam invehebantur v. 2. 25. 29. Deumque à liberis insontibus parentum pœnam, illis impunè dimissis repetere, & satis grave sumere supplicium, ut sic parentum suorum iniquitatem portare cogerentur. Deus justitiam suam vindicans negabat talem pœnæ translationem à se jam institui, seq; iniquitatem in auctore suo punire, nec alterum pro alterius peccatis ad se non pertinentibus insontem & invitum, sed quemlibet pro culpa propria,

pria, secundum ordinarium divini iudicii processum poenas daturum, prolixâ ac ponderosâ protestatur oratione. *Conferamus hæc cum imputatione peccati Adamitici toti humano Generi factâ, & dictum hoc Ezech. cum illa militare non deprehendetur.*

1. *Hic damnum à Protoplastis acqvisitum pati, & similes Parentum corruptorum nasci meritò à Deo permittimur, qui nullo jure ad nostri in integrum restitutionem tenetur. Porro*
2. *quia peccatorum peccaminosi filii sumus, hoc dictum obstare non potest.*
3. *Nec est, quòd de impunitate primorum parentum, & omnis poenæ in posteros translatione queramur, cum poena ipsis quoq; inflicta fuerit.*
4. *Nulla insuper cogit necessitas, ut hanc rem secundum ordinarium processum institutam fuisse arbitremur, cum peculiariter de illa fuerit pactum. Et quemadmodum ea, quæ extra primi pacti circulum, vel etiã post ejus violationem Adamus peregit, posteris minimè imputantur, ita tota hæc imputatio ex Pacti tenore venit dijudicandâ, qui Protoplastos h. l. non ut personas privatas in actionibus merè personalibus & propriis, sed ut personas publicas, totumq; humanum Genus repræsentantes in actionibus communibus, & tum sibi, tum omnibus à se carnali modo generandis hominibus imputandis sistit. Quare cum ejusmodi Pactum de actionum bonarum & malarum præmiis & poenis cum nullis aliis parentibus pro se & liberis suis spondentibus, unquam factum sit, ex ordinaria & communi regula nostrum de hac Dei imputatione iudicium formandum non est. Plura ad dilucidationem hujus rei facientia v. in *Maximè Reverendi DN. Præsidis Disp. I. de Aux. Grat. Cap. 3. th. 18. §. 2. 3. Disput. de Peccato Witteb. A. 1633. habitâ. Tit. de Pecc. Orig. Man. Aug. Conf. Disp. 2. p. 56. 57. & Præl. ad Brev. Cap. V. B. Carpzov. P. I. Syst. Theol. Artic. 12. Aph. 4. §. 5. Artic. 13. Aph. 7. Præterea de imputatione primi peccati omnibus Adami posteris factâ consensum Confessionum & Doctorum celebriorum in Ecclesia Protestantium, item veterum Scriptorum Ecclesiasticorum & Scholasticorum Ecclesiæ Romanæ testimonia collegit, & peculiariter Tractatu Lugd. Batav. A. 1645. excuso exhibuit Andreas Rivetus. Arminianos imputationem hanc negantes, v. refutatos à DN. Præside Disp. I. de Aux. Gr. I. alleg. Calovio in Confid. Ar-**

D 3

minia-

minianismi Cap. 4. §. 27. 28. 39. Coccejo Tract. de Fœd. Dei. Cap. 3. n. 64. Valeo, Maresio &c.

VII.
VICARI-
AM IM-
PLETI-
ONEM.

XXIX. Posteaquam hac ratione totum Genus humanum legem divinam violaverat, mortis temporalis & æternæ reatum contraxerat, dona integritatis concreatæ perdiderat, & ex propaganda per carnalem generationem vitiositate (quam agnoscit *Caxtus Tract. de Pactis th. 50.*) & propriâ malitiâ peccato obnoxium, atq; sic iram & pœnas Dei aggravaturum erat; Deus Optim. Max. ex singulari & ineffabili sua misericordia de Restoratione Ejus quasi consilium iniit. Et cum duo ad lapsi humani Generis Reconciliationem vel maximè necessariae essent, nempe reatus contracti sublatio, & Regni Dei, tum Gratia, tum Gloria restitutio. Illa à sine pœnarum perpeffione: Hæc sine Legis divinæ, ceu immutabilis regulæ justitiæ divinæ, perfectâ observatione, nisi Dei veritas & justitia violanda, fieri non posset, neq; tamen orta ex lapsu virium humanarum imbecillitas, vel ad pœnarum sustentationem, vel Legis divinæ impletionem, sufficeret, & sic totum humanum Genus sibi relictum in æternum perire cogeretur, Deus, quæ singularis & imperscrutabilis ipsius est sapientia, medium, modumq; ejusmodi invenit, quo & misericordiae suæ indulgeri & justitiæ ac veritati suæ, quæ legis urgebant debitam, satisfieri posset. Nimirum Filium suum non invitum, sed sponte se offerentem, nostrum Vadem constituit, totumq; à Lege primi illius Pacti à nobis postulatum, & postulandum debitum in illum transtulit, atq; decrevit ab eo suo tempore in carnem misso satisfactionem omnem exigere, ejus intuitu totum humanum Genus sibi inimicum reconciliare, idq; eo loco habere, ac si quisq; eorū in propria persona conditionibus Pacti stetisset, & Legi divinæ, tum patiando, tum agendo perfectè satisfecisset. Ad utrumque enim post lapsum tenebamur, & quamvis in Statu integritatis, præstitâ obedientiâ supplicio locus non fuisset, deinceps tamen cum per transgressionem Adamiticam rei facti essemus, satisfaciendum utiq; erat pro pœna, ne in Gehennam detruderemur, & quia non eo ipso quòd quis infernalem evaserit pœnam, & à supplicio liberatur, in cœlestes evehi sedes meretur, sed necesse est, ut conditiones Pacti, sub quibus æternæ beatæq; vitæ gloria promissa est, præstet, h. e. perfectam legi obedientiam gerat; & quemad-

quemadmodum non illicò adulter, aut fur, qui à pœna capitali, v. g. gladii, vel suspendii absolvitur, in Regiæ Majestatis, vel consularis Dignitatis fastigium evaditur, aut justus sanctusq; pronuntiatur; Sed oportet illum alio & convenienti titulo medioc; id honoris acquirere: Ita utrumq; nobis, & sic illi quoque, qui nostram personam hoc in negotio sustinere, & loco nostri conditionibus Pacti (pœnalibus) stare, illiusq; promissa nobis acquirere volebat, pati nimirum, & obedire incumberebat. Hoc est quod Theologi dicunt, ante Lapsum valuisse disjunctivam, & obligasse Legem aut ad obedientiam, aut ad pœnam: Post lapsum copulativam valere, hominemq; obligari & ad pœnam, & ad obedientiam. v. B. Carpz. Christolog. Disp. de Off. Christi Aph. V. §. 6. Disp. de Justific. Aph. 16. §. 1. Et Wilhelmus Nigrinus Tract. de impletionem Legis p. 97. 98. seqq. Nimirum Satisfactio Messiae debebat esse ratione sponsonis vicaria, ratione passionis expiatoria, ratione obedientiæ meritoria.

XXX. Noluit vero Deus ob Sapienciam Tuam hanc Justitiæ & Legi suæ pro toto humano Genere à Messia vi sponsonis susceptam satisfactionem eo loco habere, ut sibi integrum non esset, quo minus eam ab hominibus fide acceptandam proponat, omnesq; sine discrimine, sive hoc beneficium sciant, & credant, sive ignorent, aut non credant, sive grati sint, sive ingrati, sive piæ, sive impiæ (ante vocationem) vivant, ab omni pœnâ & obedientiâ Legi debitâ absolvere, eosq; in consortium angelorum & æterna gaudia suscipere, sed certis insuper conditionibus de Usufructu pactorum à Mediatore beneficiorum cum hominibus quasi pacisci voluit. Nimirum cum toto humano Genere post lapsum Deus aliud inicit Pactum, idq; verè Evangelicum, quo ex merâ gratiâ promissit homines convertere, si malitiosè non restiterint, verbum Dei vel auditum, vel lectum, quantum in ipsis situm, meditati fuerint: Credentes in Messiam, & verâ fiduciâ meritum Ejus sibi applicantes justificare h. e. à peccatis absolvere, & justos habere: Sanctificationem indies continuare, si in fide, precibus, & studio B. O. perstiterint, sibiq; à peccatis regnantibus caverint: Lapsos in peccata mortalia denno in gratiam recipere, si pœnitentiam egerint, & tandem eos glorificare, & vitæ

VIII.
PACTI
EVANGELICI
SUBSE-
CUTIONEM.

& vitæ

& vita æternùm beatâ donare, si usq; ad finem vitæ perseverave-
rint h. e. in fide vivâ, quæ sine Pietatis ac B. O. studio & exerci-
tio non est, ex hâc vitâ decesserint. *Quæ promissiones, & gratuita
sunt & conditionatae*, vel, ut B. *Himmelius* in Syntagm. Disp. de
Evang. eas appellat, *ordinate*. Gratuito enim non conditiona-
tum, sed meritorium opponitur. Quæ quid conditiones istæ
non important, nec causam sed ordinem saltem & conditionem
illius, qui beneficiis istis gratuitis potitur, exponunt. Hoc de
Restauracione Gen. humani Pactum, miserrimis ipsiq; despe-
rationi proximis Protoplastis, statim in Paradiso publicavit,
sententiæ judiciali, ad mortem eos damnanti, Evangelii, & læ-
ti nuncii instar subjunxit, & ad Pacti hujus observationem,
non primos nostros parentes tantùm, sed totum quoq; in iis
& per eos lapsum humanum Genus tanquam ad unam Salu-
tis viam, & perpetuum ac universale salvandi medium obli-
gavit. *Quo Pacto Evangelico tamen, antecedens Pactum Legale
non tam abrogatum est, quam stabilitum ac impletum* Rom. 3, 31.
Matt. 5, 17. & prioris de salute nostrâ promissionis non tam
sublatio quam *translatio facta* Ebr. 7, 12. ut non in Lege, sed
in Evangelio Justificatio quærenda sit, & qui in Lege, & per Le-
gem eam quærun, etiamsi id fiat magno Zelo ob contractam in-
firmitatem, sub maledicto sint. Rom. X, 2. 3. Gal. 3, 10. Et sic
homo post lapsum non contra Pactum Universale primum, sed
potius secundum illud per Evangelicum Pactum salvatur, nec
mutatio facta est quoad rem satisfactionis, sed quoad subje-
ctum & personam conditionibus fœderalibus stantem, & ex
se Legi satisficientem. Ita ut eadem semper via manserit
ad salutem, sed modus calcandi eam non idem. Via illa
est perfecta Legis impletio. Processus fit vel viribus propriis
sec. Pactum Legale primum, vel viribus alienis iisque vicariis
sec. Pactum Evangelicum. Christus viam illam solus calca-
vit, sed qui fide in Christo sunt illos secum portavit. *In
Christo, & per eum pœnam peccatis debitam quasi perpeffi sumus,
legem implevimus, mortui sumus resurreximus* 2. Cor. 5, 14. Ro-
man. V, 19. VI, 5. *Nihil igitur condemnationis est in iis, qui sunt
in Christo Jesu.* Rom. 8, 1.

XXXI. Porro cum Pactum hoc ante Lapsum initum, lapsis hominibus salutem sine Evangelico Pacto non conferat; Pactum v. Evangelicum sine illo nec intelligi possit, nec credi, & propterea in salutari usu hæc Pacta semper sint conjungenda, (quod pluribus docuerunt Chemn. Tom. II. L. de Justific. p. 247. seqq. usque 253. Hopfner. Disp. 3. de Justific. p. 176. usque 180.) Utriusque hujus Pacti doctrina, in usu harmonice conjuncta, publicâ, privatâq; semper voce in Ecclesiâ post lapsum sonuit. Quæ potissima quoq; causa fuit, ob quam Deus, Pactum particulare cum Populo Israelitico initurus, Legem moralem ex Pacto hoc Universali primo solenniter in Monte Sinâ repetivit, ut ducat in agnitionem peccati Rom. 3, v. 20. Petram cordis lapidei conterat. Jer. 23, 29. Concludat sub peccatum, ut promissio gratiæ detur credentibus. Gal. 3, v. 22. Operetur poenitentiam ad salutem. 2. Cor. 7, 10. Tanquam sub pædago populum in timore Dei contineat Gal. 3, v. 24. faciendorum ac fugiendorum sit regula &c. D. Calixtus Tractat. de Pactis N. 74. speciales & ad populum Israeliticum, spectantes Legis moralis in monte Sinâ repetitionis, & in Pactum Mosaicum particulare insertionis, rationes allegat, communes tamen illos, & ad omnia omnium lapsorum hominum tempora pertinentes Legis moralis usus, à se in Epit. Theol. p. 87. 88. seqq. demonstratos, expressè non excludens, sed potius præsupponens. Confer. Chemn. Tom. II. L. de Lege Cap. 6. & 10. Et hæc ratione *Pactionem ante confirmatam à Deo, respicientem in Christum, Lex, quæ post annos quadringentos & triginta (suo modo) cæpit, non reddit irritam, ut aboleat promissionem.* Gal. III, 17. *Lex enim (repetita) non est contra promissionem.* Gal. 3, 17. *neq; promissio & fides contra legem* Rom. 3, 31. Moses Pacto suo non novam ad salutem viam monstravit, sed veterem cum suis calcavit, Legis Pædagogiâ munivit, purgavit, illustravit, & cum Posteris suis nobis quoque sectandam reliquit.

IX.
SOLENNEM
IN
SINARE-
PETITIONEM.

E

Deus

DEUS BENIGNISSIMUS, qui eo usq; se dimi-
sit, ut nobis Creaturis & mancipiis suis Foedere se ob-
strinxerit, cumq; foedifragi ad Tartara detrudendi esse-
mus, de Restauratione nostri nobis prospexerit, & tan-
tâ misericordiâ denuo pactus fuerit, Sp. S. sui Gratiâ
nos foederatos Pacti conditionibus stare faciat, & bo-
nis promissis cunctos, qui Christo nomen dederunt,
in omne ævum frui clementissimè concedat. Gra-
tiæ Ejus infinitæ sit Laus, Honor, & Gloria in
sempiterna secula!

F I N I S.



Coll. Diss. A 183, wise 5